



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

XII. De functionibus episcopi interioribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)



C A P. XII.

DE FUNCTIONIBUS EPISCOPI
INTERIORIBUS.

I.

Functio-
nes inte-
riores
Episcopi
sunt;

FUNCTIONES Episcopales ad omnes reli-
gionis Christianæ partes extenduntur, qua-
rum nulla non dependet ab Episcopo. Ejus
est per prædicationem & baptismum facere
Christianos; factos precandi modo imbuere,
ac verbo Dei & sacramentis pascere; presbyte-
ros & episcopos, qui similia faciant, religio-
nemque ad finem sæculi propagent, instituere.

i. prædi-
catio

publica.

II. PRIMA igitur Episcopi functio est
prædicatio, quæ ipsam gentilium conversio-
nem antecessit. Quomodo enim credidissent
in eum, de quo nihil audivissent¹? Prædica-
tionis autem vocabulo intelliguntur omnis
generis institutiones credendorum & agendo-
rum, maxime autem illa, quæ fit per quæ-
stiones & responsiones cum eorum, qui adul-
ti baptizantur, tum infantum, qui jam ba-
ptizati sunt. In primitiva Ecclesia Episcopus
singulis diebus dominicis vel etiam sæpius,
quoties scilicet sacrum fiebat, verba fecit ad
populum. Nulla enim Missa celebrata est si-
ne prædicatione & sine prælectione Evangelii.
Ecclesia fuit schola, & Episcopus doctor, ut
sæpe adpellatur apud scriptores Ecclesiasticos.
Ille instruxit suos presbyteros; instruxit omnem
clerum, aperiendo mysteria in scripturis re-

condita, docendo canones & traditionem functionum Ecclesiasticarum, ac dubia eorum resolvendo.

1) Rom. X. 14.

III. NEC publice solum, sed etiam privata,
privatim in domibus ad exemplum Pauli¹ docuere Episcopi, memores eorum, quæ Apostolus Tito & Timotheo rescripserat de omni um viva voce, tum in scriptis:
ætatis, sexus & conditionis hominibus seorsim erudiendis. Eo etiam pertinent *Episcoporum Epistole*, quibus aliis consulentibus responderunt, & scripta reliqua queis gliscentes hæreses retuderunt. Ex tot primorum octo sæculorum patribus vix erit, qui non fuerit Episcopus.

1) Act. XX. 20. 21.

IV. SAECULO VI. & sequentibus intermissa,
quum gentium migrationibus omnia perturbarentur remissiores in prædicando facti sunt Episcopi, partim quod per incursiones barbarorum cuncta intuta essent; partim quod per amplitudinem diœcesium, præsertim in Germania, infinitis laboribus implicarentur; partim quod negotiis publicis, ad quæ vel ratione territoriorum, vel ob rerum bene gerendarum peritiam, quæ in laicis nulla erat, vocati sunt, distinerentur. Præterea, (fatendum est enim, quod dissimulari non potest) pauci his temporibus fuere pii Episcopi, & ad erudiendum populum idonei. His de causis concilio *Lateranensi IV. c. 10.* Episcopis injunctum est, ut, qui ipsi prædicandi munere fun-

& fratri-
bus præ-
dicanti-
bus per-
missa,

conc.
Trid. in-
staurata.

gi non possent, idoneis hominibus id manda-
rent, eisque vitæ necessaria suppeditarent. Fra-
trum *prædicantium* & ceterorum *mendicantium*
ordines hoc tempore instituti protulerunt in-
gentem hominum numerum, qui, *prædicandi*
artem unice sectantes, nulli certæ Ecclesiæ ad-
scripti, quocumque mitterentur, prædicabant:
in quo genere differendi quum magis exercita-
ti ac promptiores essent pastoribus, hi ex eo
tempore conticescere cœperunt. Concilium
Tridentinum¹ veteres canones resuscitavit,
voluitque, ut ipsi Episcopi ad populum verba
facerent, idque inprimis suarum partium esse
censerent.

1) *Sess. 5. Ref. c. 2. Sess. 24. Ref. c. 24.*

2. Oratio,

V. ALTERUM Episcopi officium est
oratio. Apostoli, quum diaconos instituerent,
orationem & ministerium verbi sibi reservarunt;
& Paulus inprimis exhortatur Timotheum ad
varii generis preces pro variis personis funden-
das ac docendas¹. Episcopum itaque totum
precibus deditum esse oportet cum pro semet
ipso, tum pro grege; immo alios quoque ad
orandum inducere, & publice in Ecclesia præ-
ces præire: Hinc omnibus officiis cum diur-
nis, tum nocturnis, quantum per alia nego-
tia licet, assistere; quæ ad cultum divinum
pertinent per totam diœcesin dirigere, libros-
que eo spectantes, si opus est, repurgare;
preces extra ordinem, pro occasionum varie-
tate, præscribere; fidelibus precum formulas;
quibus in familia utantur, tradere; abusibus
autem & superstitionem tollere debet.

1. *Tim. II; 1;*

VI. OMNIUM excellentissima species præsertim
in sacris
publicis. orationis est sancti sacrificii opus, quod Episcopum proprie offerre decet. Olim presbyteris id non licuit, nisi absente, vel ægrotante Episcopo. Quam enim inconcinnum est, iudicem die partibus præfixa non comparere in tribunali; tam absurdum tum visum, Episcopum die dominica non conspici in cœtu fidelium, non verba facere ad populum, non sacrificare. Gregorius M. ut palam faceret, quam gravibus arthritidis doloribus vexaretur, dolet, se diebus festis vix per tres horas pedibus insistere posse ad lacrum faciendum ¹. Quem virum præter hæc tot Ecclesiarum curæ, tot tantaque premebant negotia.

1) *Lib. 8. ep. 35.*

VII. DENIQUE Episcopi est administrare omnia sacramenta. Quoad Christiani, non nisi tempore paschali & pentecostali baptizabantur, ipse solus solemnem baptismum impertivit; Presbyteris id non facientibus, nisi periculum in mora esset. Itaque Episcopus verus pater fuit fidelium, quos spiritualiter generaverat. Ipse solus pœnitentiam & absolutionem dispensavit. Usque ad sæculum XIII. & nonnullibi ad XV. vetus consuetudo observata legitur, qua presbyteri confitentur Episcopo ¹, cui etiamnum plures casus reservantur. Ipse injungit pœnitentiam publicam, hæreticosque & excommunicatos Ecclesiæ reconciliat ². Interim Episcopi hæc sæpius pœnitentiariis suis, aut aliis presbyteris delegare solent.

3. administratio
sacramentorum,

1) *Thomass. discipl. part. 4. l. 1. c. 69.* 2) *Pontif. Rom.*

præfeti-
m con-
firmatio-
nis & or-
dinatio-
nis.

VIII. DUO tamen sunt sacramenta, quæ solus Episcopus vulgo administrat, *confirmatio baptizatorum, & presbyterorum vel ministrorum ordinatio*. Sunt etiam certarum rerum consecrationes & benedictiones Episcoporum propriæ, veluti abbatum & abbatissarum; Regum & reginarum, equitum, Ecclesiarum, altarium sive fixorum sive portatilium, calicis & scutellæ, sancti olei. Sunt & aliæ, quæ per presbyteros fieri possunt, veluti linteorum & mapparum altaris, ornamentorum sacerdotalium, crucum, imaginum, campanarum, oratoriorum, cœmeteriorum, & Ecclesiarum profanatarum repurgationes. Vid. *rubricas pontificalis & ritualis*. Atque hæc omnia functionibus Episcopi interioribus accenseri possunt.



C A P. XIII.

DE FUNCTIONIBUS EPISCOPI
EXTERIORIBUS.

I.

Functio-
nes epis-
copi ex-
teriores
sunt

AD *functiones* Episcopi *exteriore*s pertinent *jurisdictio, personarum: Deo consecratarum & miserabilium cura, & bonorum Ecclesiasticorum administratio.*

1. jurisdic-
tio;

II. EPISCOPUS eorum omnium, quæ ad *religionem* pertinent, unicus verus & ordinarius iudex est. Ejus est, quæstiones doctrinales & morales ex interpretatione scripturæ & patrum traditione, fideliter relata, decidere. Hinc omnes libros, qui in diœcesi evul-